

IONAS PROPHETA  
DEI, QUI EST FIGVRA CHRISTI  
SEPVLT, ET TERTIA DIE A MORTE  
RESVSCITATI, CARMINE REDDITVS

GEORGIO CAROLIDE Prageno.

AD LECTOREM.

**C**andide Lector habes Iona sub imagine, CHRISTI  
Personam, passi funera dira necesse.  
Nec non devicta Sathana cervice Triumphum  
Quem tulit, & terra pulvere dum redire.  
Ille per exactos in pisce remanserat ipso  
Tres soles, terris redditus inde fuit.  
Per totidemq; dies requievit in ade sepulchri  
CHRISTVS, post socij conspiciendus adest.  
Plura leges sunt qua a sacro conscripta Propheta  
Amabide, summi resleg, dicta DEI.  
Cuius verba, tibi coniunxerat, ante soluta,  
CAROLIDES, Clarij portio, lausq; chori,  
Vt potuit fecit, gratam resstantia mentem  
Carmina, suscipiens consule, quaeso, boni.

Matthaeus Mendicil.  
lus Zatecenus.

PRAGAE,

TYPIS GEORGII NIGRINI.

Anno salutis:

M. D. LXXXVII.

Quemadmodum fuit Ionas in ventre Ceti tres dies,  
& totidem noctes: sic erit homine natus in terræ me-  
ditullio tres dies & totidem noctes.

**S**olubi ter gelidam caelo dimoverat umbram:

Ter fulsis intempesta nox:

Vitales edit Balena immanis in auras

Vatem Iova iussu Ionam

Cum fugeret, vastumq; cava trabe curreret aquor

Quem nuper alio condidit:

Sic **CHRISTVS** quem fata **DEO** Tamneia virgo

AEGRI tulit morsalibus,

Insoni infando iudicio, quia dogmata summi

Disseminat terris patri

Expiratq; animam, dicitq; novissima verba

Suspensus ilice horrida.

Extulerat lucem miseris mortalibus almam

Aurora ter figit ubi

Candida terq; aureu volitavit Luna quadriga

Humore terras recreans,

Prostrato Satana superas evadit ad auras,

Multiq; cum degit palam:

Donec Oliveti fratrum spectante caterva

De monte conscendit polum.

**CHRISTE** **DEVS**, nobis intacta virgine nate

Nobis resurgens passq;:

Quos propter santos potuisti ferre labores,

Ne linque nos neu desere:

Et cum frigida mors anima seduxerit artus

In regna transfero patri.

Samuel Radefschinus

Albtraquensis.



1997 KK 69

AKC 16/5

# PRVDENTISSIMIS

## ATQVE AMPLISSIMIS VIRIS,

### VIRTUTE ET DOCTRINA CLARISSIMIS, S. C. M.

#### IUDICI, CONSULI, TOTIQVE SENATORIO ORDI-

ni Reipublicæ NEOPRAGENSIS. Meccenatibus &

Dominis summa cum obseruantia

colendis,

S. P. D.

**D**ivini cecinere quæ Prophetæ,

Sacri Pneumatis ore sunt aperta,

Aeterniq; Iovæ sinu profecta.

Id cum pagina comprobet librorum,

Quos spiramine flaminis sacрати

Vates fatidici piè ediderunt.

Aggressus numeris ego tenellis

Sum Gnati Historiam polire Amathis

Cuius capta laboris adiuvato

Indivisa Trias, **DEVS** perennis.

Divinum celebrare nomen illo,

Primus est animus mihi: **Senatus**

Tandem amplissime gratiam referre

Pro cunctis, quibus & domum paternam

A 2

Et me

Et me cum studijs foves honestis.  
Postremò id repeto Senatus alme  
Vt versus animo velis fereno  
Quos incomta tibi dedit Thalia  
Pellectos capere, & domum paternam  
Alis suppositam tuis fovere. V.

Georgius Carolides Pragenus.

## Caput Primum.

*Cum Ninive vitijs urbs magna sepulta iaceret  
Ad Ionam Dominus talibus usus, ait:  
Impiger hinc surgens urbi succede propinqua,  
Muniâq; omîssis, nunc mea, rebus, age.  
Eius enim nostras veniunt peccata sub aures,  
Quis spatiosa nihil machina peius alit.  
Non modus ullus inest, quicquid vesana Libido  
Suadet, in hoc celeres, tota cetera, ruunt.  
Exulat hinc pietas, cui credunt, arca reservat,  
Qui bona sectetur nullus in orbe manet.  
Angit religio, colitur pro numine Bacchus,  
Marris Acidaliæ nomen ubiq; sonat.*

Hæc

*Hæc sunt quis, volui subvertere mœnia, motus,  
Funditus, ut nomen nemò referre sciat.  
Hæc patefacta mala fiant prasagia genti,  
Quò melius Dominum discat amare suum.  
Audiit, hæc Ionas, animo percussus, & inde,  
In Tharsim subito vertere terga parat.  
Quo possit Domini vultus fugisse severos  
(Non dum firmus enim religione fuit.)  
Ac tacito secum multa sub corde volutans,  
Non Dominum longas noscit habere manus.  
Ferre Palaestinam gressus inæcepit Ioppen  
Quæ Cephæi quondam sub ditione fuit.  
Æquor Ioppeum nam Tharsis littora vergit,  
Quæ voluit timidus puppe secare senex.  
Nec mora, cum Ionas tumefactum ascēdit in æquor,  
Navita, quod precium iure poposcit, habet.  
Hinc letus fragili sulcat vada cerula ligno,  
Quod minimè felix aura trahebat iter.  
Vix è conspectu sancta telluris in altum  
Vela dabant spumas ære secando salis:  
Cum Dominus cernens fugientem, hinc undiq; Ionam  
Impedijt, cursus sic tulit atq; suos:*

A 3

Concitat

Concitat adversos Eurum, Caerumq; furentem  
Inde Notum, Boream, & turbinis omne genus.  
Hi flant & vastos tollunt ad sidera fluctus.  
Cunctaq; presentem visa minata necem.  
Nubibus assiduis puppis, pluvijq; madescit,  
Deniq; quicquid erat, dira procella fuit.  
Nauta metu obstupuit, multum perterritus hesit,  
Quum timido multus corpore pallor ijt.  
Protinus has supplex effudit ad aethera voces,  
Taliaq; ipsius verba precantis erant:  
O Deus omnipotens nihilo qui cuncta creasti,  
Nomine sub cuius cuncta creata vigent.  
Huc ades & nostris feliciter annue votis,  
Fac aliquod querulas pondus habere preces.  
Ergate graviter nos deliquisse fatemur,  
Et iam peccati poenitet esse reos.  
Nos bonus aspicias, solus puppimq; gubernes:  
Ne miseros tandem fors inopina premat.  
Fluctibus en omnes agitamus in aequore: vita  
Jam ferme in dubium nostra subacta, perit.  
Tu tempestates, sevasq; coerce procellas,  
Fac nobis felix fulgeat ista dies.

Talibus

Talibus assidue pulsabant aethera votis,  
Frati ut placent numina sancta DEI.  
Interea dulci laxabat membra quiete,  
Totaq; hinc absens mente propheta fuit.  
Surge ac in tantis pius & vigil esto periculis,  
Nauta adhuc verbis talibus usus ait.  
Fac pia vota DEO, precibusq; insiste, benigne  
Si nos servatos forsitan esse velit.  
Consulit at vates missa cognoscere sorte,  
Illum, qui sedeat causa caputq; mali.  
Tentabant cuncti sortem verum ipsa Prophetem  
Criminis & cladis denotat esse reum.  
Conticuere viri, stupefactiq; ora tenebant,  
Tanta quod cladis causa lateret eos.  
Collectis animis & mente priore recepta,  
Hac nauta, vati verba, dedere pio.  
Fare age quas vento contendis pergere ad oras?  
Quare tibi fors sit qualis origo refer?  
Talibus at contra quasitus cepit Ionas:  
Mater me Hebraeo semine facta tulit.  
Hunc colo qui vasti fabricavit corpora mundi,  
Cuius in imperio machina tota manet.

Qui

Qui superas certis vicibus moderatur habenas,  
Quem polus, & terra, tartaraq; ima tremunt.  
Hic curas hominum totius gestat & orbis,  
Nec vult ut miseros fata severa premant.  
At quia mandatis eius parere recuso,  
Accerso meritas impietate cruces.  
Hinc venit ut tantum pelago iactemur & Austris,  
Unius ut culpam tota cetera luat.  
Dixit, & attonitos subitus tremor occupat artus  
Frigore solvuntur membraq; fessa, virum.  
Deinde ubi nil prodest Nereum Sylleq; potestas  
Ut cesset, clamat navita, tolle virum.  
Tollite me miserum Jonas dehinc farier insit,  
Amittent vires mox vada salsa suas.  
Me movisse scio divini numinis iram,  
Me merso vobis cuncta secunda cadent.  
Vertere vela viri conati: ad littora salvi  
Si salvas possint forte referre rates.  
Sed labor ipsorum vacuas exhibat in horas,  
Maior enim pelago fluctus & ira fuit.  
Maximus interdum socios timor arguit: illiq;  
Incipiunt dubijs poscere rebus opem.

Talibus:

Talibus: Omnipotens nostra qui causa salutis,  
Qui pater & vita maximus autor, ades.  
Qui superas iustum sitientes fata Tyrannos,  
Arbitrio cuius vitaq; morsq; venit.  
Huc ades & nostra dubio in discrimine vita,  
Adfer opem, Angelica nos tuere manu.  
Nec patiare tuos hoc equore mergier artus,  
Currat in autorem noxia poena suum.  
Nec mora, proijcitur Neptuno prada furenti,  
Piscibus equoreis escaq; grata Jonas:  
Et subito lethi sedantur in equore fluctus,  
Inq; mari nullos iam facit unda sonos.  
Tota repente cohors sacros adolebat honores,  
Votaq; supremo fudit ad astra patri.

## Caput Secundum.

IN terea Domini Balena Britannica nutu,  
Æquoreas magnâ mole secabat aquas.  
Qua subito, ac vidit lato rapit ore propheten,  
Hoc ut pellatur subveniente famas.

B

Tres

Tres fulsere dies totidem fulsere tenebra  
Ut vates piscis ventre sepultus erat.  
Hisq; DEI sacras feriebat vocibus aures,  
Ut non afflicto ferre recuset opem:  
Ad te clamabam supremo in mortis agone,  
Auditus vultus sum miser ante tuos.  
Quin etiam medio fueram submersus Averno,  
Et tamen audisti vota precesq; meas.  
Et nunc ingentis Balana in ventre sepultus,  
In Domino spero nocte dieq; suo.  
Fluctibus oppressus circumdatus undiq; lymphis  
Perpetuo, vasto gurgitemersus eram:  
Advena versabar mortiq; propinquus avara,  
Fixus at in nostro pectore semper eras.  
Ergo tibi meritas, haud ficto pectore grates  
Persolvam, & nomen concelebrabo tuum.  
Sape tuas supplex venerabor fletibus aras  
Sape tibi templis thura Sabaa feram.  
Carmines saepe tuos pangam declivus honores,  
Omnia in ore meo laus tua semper erit.  
Fac igitur superas veniant mea verba sub arces,  
Facq; meas aliquod pondus habere preces.

Hi

Hi qui vana colunt ac illis semper adherent,  
Hi neglecta sua iura salutis habent.  
At meus hoc animus semper cupiebat: ut omni  
Coelicolis grates tempore latus agam.  
Vota fero, ponoq; sacras holocausta sub aras,  
Exoptans laudis nuncius esse DEI.  
Dixerat ad piscem celsi moderator Olympi:  
Redde hunc qui triduo ventre sepultus agit.  
Et subito superas Ionas eiectus in auras  
Extulerat meritis laudibus usq; DEV M.

### Caput Tertium.

TVm DEV s omnipotens Iona sua iussa secundo  
Rettulit, ac istis vocibus usus ait:  
Impiger hinc surgens in eam proficiscitor urbem,  
Qua Ninive à Nino nomen adepta tenet.  
Qua tibi precipio totam fac nota per Urbem,  
Exequere officij munia ritè tui.  
Surgit, & erectos tollens ad sidera vultus  
Non dubitat sancta pro pietate mori.

B 2

Et

Et subito Ninives gressu concedit in urbem  
Quaę DEVS iussit sedulus illa refert.  
Urbs antiqua fuit, Syrij tenuere coloni,  
In medio Assyrij maxima structa soli:  
Quò nunquam terno potuit lustrare viator  
Lucifero (ob longè nam trahatur) iter.  
At Jonas properans divina edicere iussa,  
Unà tam longum luce peregit iter.  
Adveniens tales edebat ab ore querelas  
Qua (si non homines) bruta movere queant:  
Si Phaëtonis equi decies quater astra sequentur,  
Luna per athereas si dabit ora plagas.  
Urbs infensa DEO hac volucris rapietur ab igne,  
Urbs qua nunc, posthac pascua, rura, nemus.  
Namq; graves fædo meruit pro crimine pœnas,  
Qua Dominus sancto lumine cuncta videt.  
Nulla fides pietasq; DEO prestat, & omni  
Divinos cultus temnere cura viro est.  
Spurca Venus, fraudes, cades periuria regnant,  
Hac mala pro trino numine ferre iuvat.  
Eia age nec veterum reminiscere sæva malorum  
Inq; viam, monstrat qua supera astra, redi.

Fædis

Fædis te tam pœniteat lassisse Tonantem  
Criminibus, doceas tanta patrasse mala.  
Luge, demissosq; feras subsidere vultus  
Supplicibus votis numina sancta petas.  
Ille ubi contrito cernet de corde dolorem  
Parcet, & angentis tristè, misertus erit.  
Nec tua prisca suas peccata reducet ad aures,  
Non erit illorum tempus in omne memor.  
Nam velut est iustus, scelerum vindexq; severus  
Sic in conversos mitia corda gerit.  
Prædixit vates peritura talia genti,  
Firmiter in summum credidit ipsa DEVM.  
Et statuit certis ieiunia stricta diebus,  
Uelavit vili corpora veste cohors.  
Hæc quoq; regales veniunt cum fata sub aures,  
Sublimi è folio limina prima petit.  
Deponit byssum Regalem spernit amictum,  
Attrito & sacco corpora mæsta tegit.  
Gemma nitens rutilovè lapis circumdatus auro  
Abijcitur, cineres tempora Regis habent.  
Concilio cogit cunctis ex more vocatis,  
Pectore devoto talia iussa ferens:

B 3

Non

Non homo non pecudum genus ulla cibaria tangant,

Nec liceat quovis fonte rigare sitim.

Quilibet ergo DEUM votis precibusq; vocato,

Si nostra ad vultus vertere vota velit.

Pone infecta malo vitiorum corda veneno

In te hominem sumas (abijce prisca) novum.

Deniq; de scelerum secedito tramite: rectam,

Quamq; iubent Domini iussa sequare viam.

Ille ira inijciet frenos placabitur, horum,

Quos voluit penitus tollere, ductor erit.

Namq; velut meritas cumulat pro crimine poenas

Et genus irarum proluit omne suum:

Sic hominum rursus querulo ore & corde vocatus,

Accepta patria mente benignus erit.

Non cupit hic gentes subvertere funditus omnes,

Conversi vitam sed magis optat, amat.

Quas cum devoto fudissent pectore voces

Moverunt summi corda benigna patris.

Mens divina fuit Niniven subvertere, sed mens

Mutat, dehinc mors facta, beata salus.

Capit

## Caput Quartum.

Postquam veridico fierent haec cognita vati

Anxius in terram lumina fixa tenet.

Ferventes misero luctu commiscuit iras,

Conatus pessum dum videt ire suos.

Sicq; animo commotus ait: DEUS unice vatem,

Cur sinis in luctus, dic precor, ire tuum?

An tibi devota non talia mente ferebam,

Cum nondum patrijs sinibus exul eram?

Propterea conatus eram dare vela per aquor

Ut profugus Tharsis moenia celsa petam.

Namq; stetit semper nostra hac sententia menti,

Quod tu sis tota sub pietate, bonus

Mansuetus, clemens, castus, sine crimine, iustus

Omnipotens, verax, & sine fine DEUS.

Jam precor ut fessos moribundi corporis artus,

Exolvās: in te sit mihi dulce mori.

At Dominus Vati verba haec contraria fatur:

An reris te iram iure tenere truce?

Non cupio lapsi mortem, verum expeto, latus

Ut me cum supera vivat in arce poli.

B 4

Omnibus



Omnibus hunc monstro larga pietatis amorem,  
Salvus in aeternum, qui mihi fudit, erit.  
Mæstus at interea vates hac Vrbe recedit,  
Dum vexat bilis pectus iniqua suum.  
Undeque puniceo Palantias exit amictu  
Fecerat occultum fronde virente locum.  
Tectus in hoc antro et cupiens spectare latebat,  
Urbs Ninive quali murmure celsa ruet.  
Et DEVS hic hederam produxit ad aëra, Vatis,  
Ipsius, ut Ione, contegat umbra caput.  
Latus erat Bacchi recubans sub tegmine vates,  
Sacra etenim Baccho flexilis arbor erat.  
Postera cum fulsit niveis Tithonia bigis,  
Lucidaque emicuit sole oriente dies.  
Exit è vasto sinuosa viscere terra,  
Vermis, et hic hederam dente perire facit.  
Conciderat subito croceis privata Corymbis  
Nullaque iam vatem qua tegat, umbra fuit.  
Concava torrentis fervebant brachia cancri  
Et Phæbus medio fixus in axe stetit:  
Partibus à mundi cunctis mala flamina surgunt,  
Florum flatus astus et ignis erat.

Vexabant

Vexabant miserum torrente calore Propheten,  
Et feriunt flatu lumina mæsta suo.  
Verum cum nequeat tantos perferre dolores,  
Mæstus in hac vates verba repente ruit:  
Fac DEVS alme mei solvantur corporis artus,  
Spiritus è terris coelica regna petat.  
Est etenim satius certa succumbere morti,  
Quam vita, afflictum, commoditate frui.  
Rursus ad hac Vatis respondet verba Iehova,  
Num te bile putas iure timere gravi?  
Cur hederam parvo pereuntem tempore lugens?  
Hanc ne tuo nutu posse vigere putas?  
Iure, ait, et iustam foveo intra pectora bilem  
Nec prius hac, donec vita, recedet, erit.  
Tam graviter lugens hederam respondit Iova,  
Qua sine te cadere et lata vigere potest.  
Urbs Ninive magna est, in terris nobile nomen,  
Assyrij celebris lausque decusque soli.  
Hac vicies hominum sustentat millia centum,  
Atque cohors maior, si numeretur, erit.  
Illorum pars magna rudis discrimina nescit,  
Qualia dextra habeat quæve sinistra manus.

B S

Non

*Non igitur fas est tam magna parcere genti?  
Perdere conversos ergò furore decet?  
Nunc homines quorum pietas præcordia tangit,  
Et quibus est Domini pectore fixus amor:  
Ferte pedes ad me, seu vos labor anxius urget,  
Sive etiam dura mortis imago premit.  
Promisit superi virtus æterna parentis,  
Virtus qua in lapsos corda benigna gerit:  
Defessas vires dulci reparare quiete,  
Demere quod vestra & corda molestat onus.  
Tollite suavè iugum, levis est mea sarcina, cæli  
Nam facit æternos vivere in axe dies.*

### *In Chrestillum.*

*Cui facilis candor cuiq; est exculta Camenis  
Mens, cui vesana nil levitatis inest:  
Nil temerè temnet, tyronum dente Theonis  
Rodere vitabit, sponte laboris onus.  
Quisquis enim alterius scripta est lacerare paratus,  
Argum doctrinæ convenit esse sua.*

*Ergo*

*Ergo novos qui Carolidis vult carpere fœtus,  
Iudice me sane nil rationis habet.  
Mome procul Chrestille procul discedito, rostris  
Carmina, crede, damus, non laceranda, tuis:  
Extet at in patriam mentis veriq; favoris  
Signum, causa est hæc, carmina nostra damus!*

Martinus Stolinsky  
Zvvolenovsen<sup>o</sup> F.



*[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



*Ja.*

PARAPHRASIS PSAL/  
morum, II. & CXXXIII.

SCRIPTA AD

ILLVSTREM ET MAGNI  
FICVM HEROA AC DOMI  
num, Dominum Georgium Sternbergium,  
liberum Baroem in viridi monte, S. C.  
Majestatis consiliarium, & serenissimi Archiducis  
Austriæ &c. Ferdinandi, Camerarium,  
Dominum elementem,

A  
Georgio Carolide Prageno.

Lectori S. D.

prima quidem pietas, post rerum suscipi amator  
Tingere Pieris hæc, pie lector, aquis.  
Tu, pietas quid sit, cum abses, & quid amator,  
Vt fas, ista pio suscipies animo.  
Vt potuit scripsit, tibi sit pia grata voluntas,  
Atq; hæc si mala sunt, da meliora. Vale.

M. Martinus Galli  
Czernowicensis.

Typis Danielis Sedesani.